



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores

Hartung, Philipp von
Egræ, 1687

Philippica 43. in avaros.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)

nonnunquam ariolorum vaticinijs eventum, permittente ita justas ob causas justissimo Numine, nihilominus audiendi minimè sunt, quia lex divina reclamât, & ariolos licèt semper veraces forent, consulere vetat. Nihil verius dici potest, quàm quod Augustinus docuit l. 2. de doctrin. Christian. c. 22. *non quia vera est prædictio, idcirco minus est sacrilega & superstitiosa, neq; ideo magis licet prædictionibus talibus fidè dare, sed semper retinendum illud Dei præceptum: etiam si dixerint nobis, & ita e venerit, nè credamus illis.* Denique quod de somnijs dixit Aristoteles, hic quoque verissimum est, divinationem hujusmodi non nisi ex accidenti fore veram, sicut enim qui assidue jacit aleam vel talos fi-

git, is aliquando seniones, aliquando venerem jacit, invenitque; sic cum isticenties mentiantur, quid mirandum si ter veritatem dicant. Quis non credat Deo? ipse autem reclamât: ego sum Dominus irrita faciens signa divinorum & ariolos in furorem vertens, Hucusque Augustinus.

O Divinator, quod Paulo dixit Festus, infestus ego paucis mutatis tibi occino & prædico: *Cæsarem* quid? principem mundi & iniquorum regum Caput dæmonem appellasti, ad dæmonem ibis.

* * *
* *
*



PHILIPPICA XLIII.

In Avaros.

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

Redde rationem villicationis tuæ. Luc. 16. v. 2.

§. I.
Omnis avarus peior est villico iniquitatis.

SI rationem reddere jubetur villicus, quod ex bonis Domini sui alios locupletarit, quale judicium avaros manebit, qui bona Domini sui non dispergunt, sed disperdunt, non dissipant, sed annihilant, nec alijs profunt, nec sibi comòdant, Dominum insuper & fortunæ & famæ bonis dispoliant. Villicus certè hodiernus rationem reddere iustus, non cessavit adhuc ex bonis Domini sui, quem cum primis munificum esse noverat, amicos sibi creare, remittendo

alteri è debitoribus cados olei quinquaginta, alteri verò coros tritici viginti, nec ideo à Domino reprehensus, sed ob prudentiam dilaudatus fuisse legitur. *Et laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.* justè laudatus est inquit Clarevallensis Abbas ep. 257. qui Domino suo rerum maluit, quàm personarum jacturam facere elegitque potiùs fraudem facere Domino suo, quàm proximo non misereri. at verò avarus quisunque villicus, dum omnia sibi uni vendicat, & lolij instar triticum exugit aut velut agnus castus flores vicinos

nos facinat, vel tanquam hedera-
murum, cui inhæret labefactat, aut
aquilinæ instar pennæ penas cete-
ras devorat, certè & bona boni Do-
mini sui, & bonos subditos dissipat,
rerum simul & personarum jactu-
ram infert, nec misericordiam facit,
sed miseros, dum pagum integrum,
imò oppidum, urbem, regionem
universam propter insatiabilem su-
am cupiditatem in unicum noso-
comium convertit. an non vitupe-
rio omni supplicioque dignus, du-
rissimum sustinebit iudicium & pro-
fundissimam subibit gehēnam? ad
iudicium itaque avaros provoco,
& qui in rationibus suis volvendis,
revolvendis, calculandis, recapitu-
landis toti sunt, rationum hodie
rationem reddere aut certè præco-
gitare rogo, moneo, jubeo.

§. 2.
Villici nō
Domini
tempora-
lium bo-
norum su-
mus.

Meminisse inprimis avarum
unumquemque velim, nullum
omniñō ex omnibus ullovis ju-
re Dominum vocari posse, sed villi-
cum duntaxat, seu dispensatorem
ad Domini supremi voluntatem,
quolibet momento exauthorandū,
atque cogendum ad rationes accu-
ratissimas. *mea est, clamat Dominus,
terra & vos advenæ & coloni mei
estis* Lev. 25. v. 23. hinc liquet (Phi-
lonem de Cherubim recito) nos a-
lienis uti possessionibus, nec quid-
quam habere proprium, sed usum
fructuum tantum, quamdiu vivi-
mus. Cū itaque proprium ha-
beamus nihil, & sicut nihil in mun-
dum intulimus, ita nihil elaturi si-
mus, cur stulto labore cōsumimur?
augendisque divitijs sanitatem, vi-
tam, animam, salutemque expendi-
mus & super impendimus? Villici
ergò cū solummodo simus, jam
assequor illud, quod in avarum Ba-
bylonis Regem invectus Habacuc,
væ exclamat: *væ illi qui multiplicat
non sua*, quidquid avarus congregat
& corrodit, non est ipsius propri-

Hab. c. 2.
v. 6.

um, quia villicus est, & quidem ini-
quitas, & tam deest illi quod ha-
bet, quàm quod non habet. *væ ei
qui multiplicat non sua*. ex alienis
bonis auget malum suum sicut ex
optimo epoto vino hydropicus
auget morbum suum, aut ex opti-
mo rosarum succo aranea au-
get venenum suum, aut ex attra-
cto vicinarum herbularum humo-
re paliurus auget spinas suas. *væ
ei qui multiplicat non sua*. dum enim
corrogat aliena, perdit sua, sicut ca-
nis Ætopicus, dum ossam in aquis
venatur, sicut gulo vel helluo, dum
plus nimio cibum potumve ingerit,
ingestum nequit digerere sed ne-
cessarium alimentum cum super-
fluo egerere cogitur. *væ ei qui mul-
tiplicat non sua*, nihil scilicet sibi
profutura, sed alienis rursū in spo-
lium cessura, sicut apes sua non si-
bi mella colligunt, aves suos non
sibi pullos excludunt, oves velle-
ra nutriunt, boves aratra ferunt.
*væ ei qui multiplicat non sua, usque
quo aggravat contra se densum lu-
tum?* omnes divitiæ lutum sunt, in
quo volutari gaudet avarus, & hoc
lutum tamdiu multiplicat, dum
seipsum in eodem sepeliat, cœni
quàm cœli amantior, nummi quàm
Numinis cupidior, corrogandi a-
liena, quàm erogandi in pauperes
propria studiosior. *usque quo aggra-
vat torquem suum* (ita septuaginta
vertunt) ut eodem obstrictus dæ-
monibus pertrahatur in gehēnam.

Ingens hæc vesania est, & ex
eo capite longè detestabilior, quòd
non profanos modò & sæculo de-
ditos invadat, sed prophetas quo-
que pervertat, excæcet, dementet,
pro millibus unum spectemus &
detestemur Balaamū, de quo Num:
22. legere est. non poterat impetrare
à Balaam Rex Balac, ut malediceret
exercitui Israëlis, donec legati di-
cerent: *paratus est Rex noster ho-*
mora-

§. 3.
Avaritia
excæcat
prophe-
tas ut pa-
tet in Ba-
laam.

norare te, seu ut legit Oleaster ditare te. tum jumentum conscendit, urbéque egreditur. at ecce stricto gladio Angelus prohibet asinam. quid hoc? mirabor cum Ambrosio lib. 9. in Lucam c. 19. *asina Angelum Dei vidit, quem homo videre non potuit. vis causam? angelum non videt, quia regio muneri intentus erat.* horripilat asina & semitâ exilit, statque attonita. hic Balaam moræ impatiens verbera verberibus cumulat, exprimitque ab asina inauditam hanc vocem: *cur me percutis?* audin' Balaam? nec miraris & sciscitaris, quis asinam tuam loqui docuerit? *Balaam, inquit S. Augustinus in quæst. super Num. nullum signum admirationis ostendit videns asinam loquentem, cur non obstupuit, & de facultate loquendi asinam non interrogavit?* ò asinâ magis asinum! sed causam placet recipere: tantâ cupiditate ferebatur, ut nec tanti monstri miraculo terreretur. hinc igitur constat, quanta sit vis avaritiæ ad obcæcandam mentem, siquidem nec miraculum tantum & prodigium potuit oculos aperire, quos clauferat avaritia. Hæc S. Augustinus; observo insuper prophetam non tantum non stupuisse, sed calentiori æstu percitum exclamasse: *utinam haberem gladium, ut interficerem te.* cui furori temperando aptissimè asina stylum mutat, nec exoptulat: *cur me percutis?* sed leniori phrasi: *animal tuum sum.* hoc erat dicere: si me interimis, tibi incommodas, agetur quidem de mea pelle, at de tuo marsupio, pellem perdam ego, tu asinam tuam, cui si aliam suffeceris, nè pedes cogaris incedere, quod nummi erunt exponendi! hic Balaam tandem sapere, mutare mentem, & non de cæde modò cogitare quidquam, sed & verberibus superfedere cœpit. ò maledicta cupiditas! ò videns non

videns! propheta excecate, quæ te cœpit dementia: ut imminentem Angeli manum non exhorreas, impendentem capiti tuo tempestatem non sentias, miraculum non attendas, soli illi intentus: *paratus est Rex noster ditare te.* hic genius avarorum est, cœlum non spectant, vindicem Deum non observant, gloriam æternam non æstimant, infernum non curant, exitium æternum non cavent, huic soli cogitationi intenti, quæ ditari & immodicis opibus possint augeri.

Major adhuc avaritiæ cæcitas ex eo apparet, quòd nec proprii sanguinis damnum curent avari, dum cura est nummi, solâque de censu censura, de quæstu quæstio. coclamatû erat contra innocentem Joseph à parricidis fratribus Gen. 37. *ecce somniator venit; venite occidamus eum,* liceat mihi hic nefarios interpellare parricidas, proque innocenti capite causam dicere. misericordia ò fratres! quid meruit insons? somnium suum prodidit? ex simplicitate dixit; polymitam à patre accepit? paratus est eam cuivis cedere; accusavit vos de crimine pessimo! non ad iudicem, sed ad patrem detulit, ut vindicem Dei manum à vobis averteret, parcite sanguini crudeles! caro vestra & sanguis est. quæ ista erit vesania? furere in vosmetipsos proprioque exsaturare sanguine feralem sitim, ut servetis innocentem fratris sanguinem, vestrû ultrò morti propinare decebat: & placebit adhuc satandæ libidini prodigere fraternum? quid ad hæc terra? quid cœlum? quid spectatores superi? quid ultores inferi? clamabit terra voce sanguineâ, & non cataclismum modò cœlo, sed ignes excitabit inferno, quæ nefandam aboleant maculam, si tamen ullis ignibus poterit aboleri. Expendit ista Ru-

§. 4.
Avaritia
confangui-
nitatem
non respicit
ut patet in
fratribus J-
eph.

Ff

ben

ben & pedem animúmque à cæde revocans exclamat: *manus vestras servate innoxias.* pervasimus, parceretur intereà sanguini tuo innocentissime Iosephe, sed cisternam veterem non effugies, & quia vetus est, bene te sperare jubeo, spem etenim ibidem invenies, quæ ex veteri adagio in puteum dicitur cecidisse. ecce Ismaëlitaë appropinquant mercatores ditissimi, quid si puer captivus iisdem tolerabili pretio vendatur? ita est, inquit Ruben, vendatur, ut conscientia nostra evadat securior, & sacculus locupletior. *quid nobis proderit, si occiderimus fratrem nostrum, melius est, ut venundetur Ismaëlitis,* placet consilium: *acquieverunt omnes sermonibus istis.* res mira! cum de occasione agitur, unus saltè alterve reclamat. at cum de venditione concluditur, nemo mussitat, tacent omnes, & consentiunt. fortè Josepho mors charior fuisset servitute miserà, sub qua longam vivere mortem & dulcissimi parentis omniumque charorum iacturà privari morte ducet diriùs: nihil ista pensant fratres, si occiderimus, vel in cisterna hæere permiserimus, quid nobis proderit? vendatur, erit ex iactura lucrum. *acquieverunt omnes.* ò fratres insensati! itane stimulat invidia, exagitat furia, turbat superbia, ut parentem optimum contristare, Deum ter maximum ad iram provocare, sanguine fraterno nummos mercari non vereamini? nullus est animo sensus, nullus Dei timor, nulla conscientia? *sic proprij lucri cupiditas cecavit mentes eorum, sic corda depressit, ut non offensam Dei, non sancti Patris dolorem, non proprij sanguinis sensum meminisse permiserit.* Hæc D. Petrus Chrysologus serm. 29.

§. 5. Avaritia, quæ vendidit Iose-

phum, prodidit & Christum. nō sine mysterio triginta argenteos accepit Judas; causã advertit D. Chrysofostomus. discubuerat Salvator in domo Simonis leprosi Marci 14. cum Magdalena irrumpit in triclinium, effringit alabastrum, unguentóque Christum suum liberaliter perfundit. non poterat hanc munificentiam ferre avaritia, in murmur insolens ocyùs effunditur: *ut quid perditio hæc? poterat unguentum istud venundari plusquam trecentis denarijs, & dari pauperibus:* audiatur Chrysofostomus: *de quolibet numero centenario decimam partem sibi arrogabat,* sive ut Jacobus à voragine in vita S. Mathiæ, *omnium, quæ Christo dabantur, decimam partem furabatur.* indignatus proinde ex trecentis denarijs triginta sibi perire, reparare damnum statuit vel sui dispendio Magistri, inde occasione sumpsit vendendi Iesum, ait Cajetanus in Iohann. 11. & S. Chrysofostomus in glossa ordinar. apud Lyranum: *quod perdidit in effusione unguenti, voluit recompensare in venditione Magistri.* Prodit ergò Iesum avaritia, quin & eundem morti adjudicat, si Magni iudicio stamus Gregorij. Pilatus pro sua conscientia Christianus, ut Tertullianus loquitur, & juxta quorundam minus probabilem sententiam apud Christophorum Avend. discipulus occultus confitetur Christi innocentiam: *non invenio causam in hoc homine* Luc. 13. nec quidquam prætermittit, ut morti subtrahat innocentiam. instat enim quantum potuit (verba sunt Sancti Augustini in ps. 36. v. 2.) ut illum ex eorum manibus liberaret. sed en dæmonis astutiam! clamant principes populusque: *si huc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Ioann. 19. punctum magnæ considerationis, si amicus non sum, cedere jubebor, præ-

Avaritia
judæ per-
dit, Chri-
stum pro-
dit.

præfecturâ, cessabuntque mea regalia, nec ullum mihi emolumentum accedet, ex Christo absoluto. quid agam? pereat anima, pereat iustitia, pereat innocentia, omnia pereant, dum census maneant & munera. O Pilate quanta hæc iniquitas! iustitiam iniquissimus ipse condemnas, causam non invenis, & tamen Vitam morti adjudicas? quæ levitas animi tui? an nescis: *nemo potest mutare sententiam suâ in alterius injuriam.* Ô cupiditas! quò non mortale pectus cogis? *idcirco in Redemptoris mortem considerat & consentit inquit S. Gregorius quia oblationum lucra amittere formidabat.* jam non miror Bernardum in avaritiam pronuntiâsse: ipsa est fornax in qua omnia Jesu Christi opprobria, sputa, clavi, lancea, flagella, spinæ, crux, mors, æ cetera passionis Christi instrumenta efformantur.

§. 6.
Avaritia
Mater omnium scelerum.

Quot nummos per fas nefasque avarus congregat, tot titulis sese dæmoni vendit ac mancipat, ut de scelere in scelus volvatur, donec fiat, ut S. Cyrillus Alexandrinus loquitur: *atheus & impius, moribus nequam plurimum gaudens & animo barbarico cupiditate rerum alienarum impotenter subjugatus.* quisquis avaritiæ se subjicit, in tantam evadit impietatem, ut citius camelus per foramē acūs intrare, citius centenarius auri motu proprio in altum selibrare, citius elementa fitum suum ac ordinem mutare possint, quàm emendari avarus, & cæli fieri candidatus. Radix enim omnium malorum est cupiditas ut scripsit 1. Tim. 6. v. 10. Paulus & ante hunc pronuntiavit c. 10. v. 9. Ecclesiasticus: *avaro nihil est scelestius si scelestus est omnis idololatra, scelestior est avarus utpote qui Deum abnegat, dum avaritiæ se mancipat, quæ est idolorum servitus: repleta est terra argento & auro & repleta*

est idolis inquit Vates Evangelicus, ubi aurum, ibi idola; dives effectus sum, inveni idolum mihi Osee 12. v. 8. in hanc idolomaniam totus judaismus degeneravit teste D. Chrysologo serm. 29. aurum judaicum populum sic captivavit aspectu, specie sic decepit, ut hoc esse Deum crederent, & Deum verum, Deum tot beneficijs cognitum denegarent. utinam non idem faciant hodieque christiani. Avaro nihil scelestius. Si scelestissimus ex omnibus judæis Judas fuit, qui Chrysostomo asseverante serm. 3. de resurrect. *parricida parriter & conviva Dominum vendidit argento, & fecit de Magistro fennale commercium accipiens aurum prodens Deum; scelestiores Judæ plurimi christiani sunt, qui non triginta argenteis, sed tribus florenis Christum immortalem, unâque animam suam Dominici sanguinis pretio redemptam diabolo vendunt, nè pretium sanguinis sui assequatur DEI Filius, qui ideo semetipsum exinanivit, ut anima salvaretur.* avaro nihil scelestius. omnis avarus est simul sanguinarius, avaritia enim & crudelitas consanguineæ sunt testante Ecclesiastico c. 34. v. 25. *qui defraudat pauperem homo sanguinis est.* qui effundit sanguinem & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Ô quàm multi aliquando audient illud Jeremiæ 2. v. 34. *in alis tuis (Hebræi legunt) in veste tua pretiosa inventus est sanguis animarum pauperum & innocentium.* si scelestus est, qui uni assefcit sceleri, quidni scelestissimus sit avarus, quia se innumeris contaminat, innocentes opprimit, viduas spoliat, pupillos exugit, operarios mercede debitâ fraudat, judices corrumpit, testamēta adulterat, pia legata expungit, rixas feminat, perjuriam & sacrilegia multiplicat, omne scelus audet.

Ff 2

Loquere nunc Orator. Antiochene

§. 7.

Avaritia
tituli ex
Chrysoſto
mo.

chene non aurea ſed ferrea verba,
nec loquere, ſed percutere & fulmina,
dic quid ſit avaritia? *veſana divitiarum cupiditas*, auditis Chryſoſtomū,
eſt morbus inſanabilis, fornax que nūquam extinguitur, beſtia incicurable, præcipuum unde quaque præcipitium ad omnia ſcelera, ſcopulus aſſiduis plenus fluctibus, mare innumeris ventis agitatum. non tot in mari fluctus, arenæ in littore, in noſocomijs morbi, quot in uno avaritiæ vitio mala comprehenduntur pronuntiant ante Apoſtolo eos, qui volunt divites fieri incidere in deſideria multa nociva & inutilia, quæ mergunt hominem in interitum, radicem enim omnium malorum eſſe cupiditatem I. Tim. 6. v. 9.

§. 3.
Avaro-
rum poenæ.

In avaros compoſitus eſt pſal. 108. in quo ſupplicia in futuro præparata avaris per modum aſſerentis & conſentientis recitantur: *diabolus ſtet à dextris eius, cum iudicatur exeat condemnatus. ſiant dies ejus pauci. ſiant filij ejus orphani & mendicent & ejiciantur de habitationibus ſuis. nec ſit qui miſereatur pupillis ejus.* verba horrida! nec mirum, quia in horrendum avaritiæ ſcelus prolata, de quo nè dubitari poſſit dicta fuiſſe, cauſa evidentiffimè redditur v. 16. *pro eo quod non eſt recordatus facere miſericordiam, perſecutus eſt hominem inopem & mendicum.* hoc uno verbo eſt dicere: avarus fuit. ò avari ſi adhuc particula ingenuitatis in vobis eſt, ſiqua cupiditas æternæ ſalutis, ſiqua ſcintilla rectæ rationis, ſiqua gutta Chriſtiani ſanguinis, ſiqua micula bonæ cogitationis, perpendite obſecro diabolum ſtare à dextris, dum dexterâ iniquas rationes ſcribitis, pecunias connumeratis, lucrum iniquum coacervatis, quin projecitis aurum fulvum ad ſiniſtram, nè furvus dæmon diutiùs ſtet à dextris. quin contempnitis aurum, nè iudex incorruptus propter au-

rum iniquum aures æquas claudat, vòsque condemnet; quin auri famem quotidie minuitis, nè dies vitæ veſtræ diminuantur; quin iniquè parta ocyus redditis, nè filij veſtri opinione omnium citiùs ad incitas & famem & infamiam redigantur. ſanguini veſtro parcite, animæ veſtræ miſericordiam præſtate, famæ veſtræ conſulite! ſapite! intelligite! Quàm vereor, nè tam parum ego proficiam, quàm Dux & Salvator meus, qui cum acerriſſimam in avaros dixiſſet inveſtivam. Luc. 16. v. 14. *audiebant hæc omnia Pharifæi, qui erant avariores lupis, avidiores draconibus, inſatiabiliores ipſo inferno, audiebant & deridebant eum,* cogitabant enim, ut SS. Ambroſius & Baſilius non ex vano ſuſpiciantur, cogitabant inquam: *pulcher ſermo, ſed pulchrius aurum.*

Audiviſtis avari? ridetis? adhuc verbum unicum audite, & ad crepitum uſque ridete. cur infernum tot impenſis & expenſis, tot aureorum millibus emitis, cum unicus ſufficiat aureus civi paupertino ablatuſ ad infernum promerendum? cur infernum in hac vita tot curis, inedijs, vigilijs, infamijs procuratis in præſenti, quaſi non ſufficiat infernus in futuro? cur iras & diras cœlitum, terreſtrium, inferorum propter Mammonam iniquitatis in caput veſtrum, in poſteros veſtros, in Chriſtianum nomen accerſitis, qui de eodem hoc Mammona amicos in cœlo longè minori impendio, ſi Domini potiùs quàm ſervi divitiarum eſſetis comparaturi eratis? reſpondete villici iniquitatis, & redite rationem, ſi po-
teſtis.

* * *
* * *
* * *